



Nova exegesis commentarii a Cyrillo Alexandrino in Ioannem 6, 54. com- positi.

Prof. extraord. dr. J. Marić.

Amen, amen dico vobis: Nisi man-
ducaveritis carnem filii hominis et
biberitis eius sanguinem, non habe-
bitis vitam in vobis. Io. 6, 54.

I.

Historia teste unio Alexandrina, quam Cyrus, patriarcha Alexandrinus, a. 663. cum magna illa Theodosianorum seu Severianorum fecerat secta — a qua concilium Chalcedonense propter verba »*in duabus naturis*« vehementer impugnabatur — quaeque celeberrimarum epistolarum Sergii et Honorii Papae I. in concilio oecumenico VI. a. 680.—681. damnationi ansam praebuerat — Cyrilli Alexandrini auctoritati quam maxime innititur.¹ Hi Theodosiani seu Severiani — prouti tum ex eorumdem operibus, tum praecipue ex can. 6., 7. et 9. eiusdem dictae unionis patet, sub influxu Cyrilli Alexandrini cum Pseudo-Dionysio Areopagita *unam* Christi theandricam activitatem professi sunt.² Quinimmo post dictam unionem Cyrillus Alexandrinus a fautoribus monergetismi et monotheletismi tamquam *unius* Christi activitatis propugnator inculcabatur. Ita Sergius, patriarcha Constantinopolitanus in litteris suis ad eundem Cyrum, de quo paulo prius mentionem fecimus dum adhuc in Phaside (Sebastopolis) episcopi munere fungebatur, explicite provocat ad Cyrillum quatenus idem *unam* Christi activitatem *vivificam* doceret.³ Quibus in litteris Ser-

¹ Mansi, Concilia XI, 563—567, 622; Hefele, Conzilien geschichte, Freiburg (B), 3. B. p. 138—140; 276—279; 283; 286; Tixeront, Histoire des dogmes, Paris, Lecoffre, t. 3. p. 162—163; 185.

² Mansi, Ib. XI. 563—567.

³ Mansi, XI. 525.

gius in mente habet commentarium, quem Cyrillus in Ioannem 6, 54. conscripserat et in quo idem Cyrillus Alexandrinus de *una* Christi activitate revera loquitur. Ad eundem commentarium provocat etiam Pyrrhus, patriarcha Constantinopolitanus et successor Sergii, dum in exilio degeret, in sua cum Maximo Confessore disputatione.⁴ Itemque Paulus, Pyrri successor in patriarchatu et monotheletismi defensor, provocat ad apologiam, quam Cyrillus de propriis anathematibus contra Nestorium directis composuit.⁵ Tandem Macarius, patriarcha Antiochenus, in 6. concilio oecumenico iteratis vicibus scilicet in prima, octava et undecima sessione — ostendere conatus est, suam de *una* Christi voluntate et activitate doctrinam a Cyrilli scriptis hausisse. Ita v. gr. in sessione octava professio fidei a Macario composita legebatur juxta quam incarnatum Verbum divinum *novam* quandam theandricam activitatem et quidem ex toto *vivificam* monstravit.⁶ Et in sessione undecima eiusdem concilii citabatur Macarius in quantum ipse Cyrilli commentario in Ioannem innixus *unam* et *eandem* activitatem profiteretur.⁷

Apud Cyrillum Alexandrinum nempe in memorato commentario legimus Christum in resuscitatione filiolae principis synanogae *unam* et *eandem* (*συγγενῆ*) ... activitatem monstrasse.⁸

Una igitur ex parte unio Alexandrina et postea cursu temporis monergetismi et monotheletismi asseclae — uti videbamus — ad citatum Cyrilli textum provocant. Ex altera vero parte auctores catholici — in explicatione eiusdem textus minime concordes sunt. Omnes enim theologi catholici — a protestantibus et graeco orientalibus hic praescindimus — praesupponunt Cyrillum citato loco *minime unam* et *eandem* Christi activitatem *physicam* expressisse. Sed in determini-

⁴ Migne, P. gr. 91, 344. . . . Κύριλλος ἐδογμάτισε, μίαν συγγενῆ διὰ μηδονῶν ἐπιδειγμένον ἐνέργειαν, τὸν Χριστὸν δηλαδὴ, φήσας. Mansi, X, 752.

⁵ Migne, P. gr. 76, 413. Mansi, X, 1025.

⁶ ἀλλ᾽ ἐνανθρωπίσας Θεός Λόγος καινὴν τινα τὴν θεανθρωπίην ἐνέργειαν, καὶ ταύτην ὅλον ξωποιῶν ἐπιδείνυται. Mansi, XI, 353.

⁷ Mansi, XI, 516—517.

⁸ Nos terminum *συγγενῆ* cum Migne traduximus in *>eandem*. Quam traductionem orthodoxyiae Cyrilli Alexandrini minime obstare, — e contrario argumentum esse rectae tum ideologiae tum terminologiae Cyrilli Alexandrini — ex dicendis apparebit.

nando sensu positivo et adaequato eiusdem textus quam maxime iidem auctores dissentunt.

Interest ergo scire, quomodo Cyrillus Alexandrinus citato in commentario intelligendus sit, quonam scilicet sensu Cyrillus de *una* et *eadem* Christi activitate loquatur. Et facta adaequata exegesi eiusdem textus facilis erit responsio ad quaestionem connexam utrum nempe unio Alexandrina et monergetismi ac monotheletismi asseclae Cyrillum rite intellexerint et jure ad eundem provocaverint.

Qua de causa articulum nostrum in duas divisimus partes. In prima parte novam et quidem tum negativam tum positivam expositionem textus de *una* Christi et *eadem* activitate dare conabinur et in altera crisi subiiciemus explicationes datas ab auctoribus catholicis ex quibus tantum aliquos speciminis gratia afferimus i. e. ex veteribus Maximum Confessorem et e recentibus Pesch, Bardenhewer, Bartmann, Vidauer, Lebon, Tixeront, Straubinger et Rehrmann.

Ante omnia superfluum nobis videtur immorari in explicanda christologia Cyrilli Alexandrini, cum tantum in illis exponendis insistimus, quae novam lucem in ideologiam tum Cyrilli tum eius asseclarum afferre posse putamus. Qua de causa neque omnes et singulos citamus locos, ubi Cyrillus — etsi non forsitan ubique terminis explicitis et technicis, attamen certissime sensu materiali et obiectivo — uti duas Christi naturas ita etiam *duas* in ipso volentes et duas activitates affirmat. Sufficit notare praesertim contra Dorner et Harnack — Cyrillum contra Docetas realitatem, contra Arianos et Apollinaristas vero humane Christi naturae integritatem defendise.⁹ Verbum Dei — ait Cyrillus — in Christo est perfectum in divinitate et perfectum in humanitate.¹⁰ Humanam Christi voluntate

⁹ Dorner, Entwicklungsgeschichte von der Lehre von der Person Christi, Berlin 1853, II, 31—206. Harnack, Lehrbuch der Dogmen-geschichte, Tübingen, II, 349—369. Rehrmann, Christologie des hl. Cyrillus von Alexandrien, Hildesheim, 1902. Lebon, Le monophysisme sévérien, Lovanii, 1909, 457. Marić, Novi pogled u monoteletizam i monergetizam, Kristologija Ćirila, patriarke alexandrijskoga, Zagreb, 1919. (Bogosl. Smotra, 1919.) 1—30. Migne, P. gr. 74, 768, 1193; 75, 1220, 1261; 76, 1193, 396; 77, 244.

¹⁰) τέλειος ἐν θεότητι . . . καὶ τέλειος ἐν ἀνθρωπότητι . . . Migne, P. gr. 75, 1220; 77, 244.

tatem Cyrillus omnibus illis attingit locis Scripturae, juxta quos Christus Patris sui coelestis voluntati suam volutantem subjugit.¹¹ Christus operatur — ait Cyrillus — divino modo et humano modo. Unus est igitur Christus ex duobus (scilicet ex divinitate et humanitate) etiamsi Verbum caro factum est.¹² Christus — dicit Cyrillus alio in loco — ostendit duplicem activitatem in quantum ipse idem passus tamquam homo et operatus est tamquam Deus.¹³ Cum Christus unus idemque sit Deus simul et homo... humana uti etiam divina opera operatus est.¹⁴

Relinquitur proinde nobis ut nominatum textum ex commentario Cyrilli in Ioannem 6, 54 cum citata clara Cyrilli de Christi naturis, voluntate et activitate doctrina componamus.

Ad meliorem vero textus citati intelligentiam necesse est tum ad immediatum tum etiam ad mediatum recurrere contextum.

Audiant igitur — ait Cyrillus — qui fidem in Christum prae recordia non suscepserunt. Nisi enim manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Expertes enim et vacui plane vitae quae in sanctitate et felicitate est, remanent, qui per mysticam eulogiam Filium non suscepserunt. Vita est enim (sc. Christus) — prosequitur Cyrillus in argumentatione — secundum naturam, in quantum *et ex vivente* Patre genitus est, sed nihilominus etiam *corpus* eius coniunctum aliquo modo et Verbo *cuncta vivificanti* ineffabiliter *unitum* vivificum est; idcirco *eius* esse reputatur ac unum cum ipso. *Indivisus* est enim post incarnationem, praeterquam quod sciendum est, *non esse idem* natura Verbum quod procedit a Patre cum templo quod est ex Virgine; corpus enim *non est consubstantiale* Verbo Divino sed *unum conjunctione* et incomprehensibili *unione*. Et quoniam — concludit Cyrillus — caro Salvatoris *vivifica* facta est, utpote *unita* vitae secundum naturam, Verbo scilicet Divino, quando illam degustaverimus, tunc uniti etiam *nos* cum ea

¹¹ Migne, P. gr. 69, 1169; 72, 456, 925; 73, 532.

¹² Migne, P. gr. 72, 556.

¹³ ... διπλὴν τὴν ἐνέργειαν. Migne, P. gr. 72, 937. Antinestorianismom prodit verba: «οὐδὲ γὰρ ἄλλος ναι ἄλλος, εἰ ναι ἄλλως ναι ἄλλως».

¹⁴ Migne, P. gr. 76, 1116; 74, 1105.

vitam habebimus in nobis, quemadum ipsa Verbo inhabitanti.¹⁵ Hanc enim ob causam — prosequitur idem Cyrillus — etiam in suscitandis mortuis *non solum verbo est jussis omnipotentibus Salvator operatur, sed sanctam suam carnem cooperatricem* constanter ad hoc potissimum adhibebat ut monstraret illam *vivificare posse* et *unum* quid cum ipso iam factam esse; etenim *proprium* eius nec *alterum* corpus est.¹⁶

Unde — ait Cyrillus uti notavimus, — cum filiolam principis synagogae suscitavit dicens: Filia surge, apprehendit manus eius ut scriptum est: *vivificans* tum ut *Deus omnipotenti iussu*, tum *vivificans tactu* quoque sanctae *carnis unam et eandem per utrumque monstravit activitatem.*¹⁷

Priusquam tamen celebrem hunc textum Cyrilli analysi subiecerimus, finiamus oportet citanto integrum pericopem textus, cum nobis ad plenam intelligentiam textus omnino necessaria appareat. Praeterea, ait ulterius Cyrillus, cum in civitatem quae vocatur Naim, adveniret, et efferretur mortuus filius matris iterum tetigit loculum dicens Adolescens tibi dico surge. Itaque *non solum verbo* concedit mortuos suscitandos, sed ut monstret, *corpus proprium vivificare posse*, ut iam diximus mortuos *tangit* et per idem iam corruptis *vitam* immittit. Quod si solo tactu, concludit Cyrillus reasumendo, sanctae carnis id quod corruptum est vivificatur, quomodo non assequiemur diuiniorem vivificam beatitudinem cum eam etiam degustaverimus. Eos enim, qui illam gustaverint, proprii sui boni scilicet immortalitatis participes reddet.¹⁸

¹⁵ Migne, P. gr. 73, 577.

¹⁶ Διὰ γάρ τοι τοῦτο καὶ ἐν τῷ τοὺς νεκροὺς διαριστῶν οὐδὲ λόγῳ μόνον οὐδὲ τοῖς θεοπρεπεσίν ἐπέταγμαξιν δὲ Σωτὴρ ἐνεργός... ἀλλὰ συνεργάτην ὅπερ τινὰ πρὸς τοῦτο δῆ μάλιστα τὴν ἀγίαν αἰτοῦ λαμβάνειν ἤπειροτε σαρκα, ἵνα δεινώῃ ἁωποιεῖν δυναμένην, καὶ ὡς ἐν ἦδη γενομένην πρὸς αἰτόν τοι καὶ γὰρ ἦν δυντος ἰδιον αἰτοῦ, καὶ οὐχ ἔτερον τὸ σῶμα.

¹⁷ ἁωποιῶν μὲν ὡς Θεὸς, τῷ παντονοργῷ προστάγματι ἁωποιῶν δὲ αὐτοῖς πάλιν, καὶ διὰ τῆς ἀφῆς τῆς ἀγίας σαρκὸς, μίαν τε καὶ συγγενῆ δὲ ἀμφοῖν ἐπιδείκνυσι τὴν ἐνέργειαν. Migne, P. gr. 73, 577.

¹⁸ Καὶ οὐ μόνῳ διδωσιν ἐνεργεῖν τῷ λόγῳ τὴν τῶν νεκρῶν ἀναβίωσιν, ἀλλ' ἵνα δεῖξῃ ἁωποιῶν τὸ σῶμα, καθάπερ οὖν ἦδη προείπομεν, τῶν τεθνεάτων ἀπτεται, καὶ διὰ αἰτοῦ τὴν ἔσοήν ἐντιθεῖς τοῖς ἦδη κατεργάζομένοις, Καὶ εἰ διὰ μόνης ἀφῆς τῆς ἀγίας σαρκὸς ἁωποεῖται τὸ ἐφθαμμένον, πᾶς οὐχ

Neque cum theologorum negativa et multo minus cum positiva eorumdem explicazione citati textus de una et eadem activitate Christi contenti novam eiusdem textus exegesim proponere decrevimus.

Et cum neque concilium Lateranense a. 640. neque concilium Constantinopolitanum (oec. VI.) a. 680. contra monophysitas Alexandrinos et monotheletas citati textus genuinum sensum nobis dederint, libera nobis relinquitur via ad inveniendam et rite determinandam exegesim textus nostris et quidem eoque plus quia haec exegesis rei veritati et ideologiae Cyrilli Alexandrini et terminologiae, qua idem in theologia utebatur, undequaque correspondere nobis videtur.

Videamus igitur primo, quid Cyrillus verbis illis »unam et eandem activitatem« affirmare noluerit.

Haec verba *unam* et eandem activitatem *physicam nullo modo* significare dicenda sunt. Multo minus Cyrillus unam et eandem activitatem eo sensu in mente habuit, ac si elementum humanum in Christo sc. in eius divinitate absorptum fuisset. Interpretatio enim huius textus iuxtam quam Cyrillus in Christo non solum unum principium *quod*, sed etiam unum principium *quo* activitatis praesupposuisset, contradicit, uti ex dictis patet, doctrinae, quam Cyrillus de relatione humanitatis ad divinitatem in genere et de *duplici* voluntate et activitate Christi in operibus suis exhibit.¹⁹ Talis interpretatio opponitur contextui mediato, in quo Cyrillus tum divinitatem tum humanitatem tamquam duo *distincta* sed indivisa principia quo in existendo aequali modo extollit. *Verbum* quod procedit et Patre — ait Cyrillus uti videbamus — *non est idem natura* cum *templo* quod est ex Virgine, *corpus* enim *non est consubstantiale* Verbo Divino sed unum conjunctione et unione incomprehensibili.²⁰ Eadem interpretatio in oppositione esset cum contextu im mediato et quidem tum antecedenti tum consequenti, in quo Cy-

πλουσιωτέραν ἀποερδανοῦμεν τὴν ἔωσιν εὐλογίαν, ταν αὐτῆς καὶ ἀπογενόμεθα. Μεταποιήσει γὰρ πάντως εἰς τὸ ὕδιον ἀγαθὸν, τοῦτ' ἔστι, τὴν ἀθανασίαν, τούς μετεσχηκότας αὐτῆς. Migne, P. gr. 73, 580.

¹⁹ Vide notas 10—14, p. 299.

²⁰ Cfr. notam 15, p. 299—300.

rillus humanitatem aequa ac divinitatem tamquam principia quo in activitate apertissime praesupponit. Dicit enim Cyrillus repetitis vicibus mortuos fuisse a Christo resuscitatos non tantum verbo ipsius divino sed etiam cooperatione sanctae suae carnis, quae ob unionem hypostaticam vivifica facta est. »Hanc enim ob causam (sc. unionis hypostaticae)« ait Cyrillus — »etiam in suscitandis mortuis . . . sanctam suam carnem cooperatricem constanter . . . adhibebat, ut monstraret illam vivificare posse...«²¹ Et paulo infra: »Itaque non solum verbo . . . sed ut monstrret, corpus proprium vivificare posse . . . mortuos tangit et per idem iam corruptis vitam immittit.«²² Quin immo textus de resuscitatione filiolae principis synagogae qui est in quaestione et cuius sensum inquirimus, asserit »unam eademque activitatem« factam fuisse et causatam »per utrumque« sc. non modo per Christi divinitatem sed etiam per carnem ipsius de qua ex professo ibi sermo est.²³

Luxta Cyrillum igitur »una eademque activitas« *non* est concipienda ut *una eademque activitas physica* in se sc. in sensu obiectivo utpote ab *uno eodemque principio quo* procedens — quod certe haereticum esset.

Ultima assertio nostra comprobatur ex *fine* quem Cyrillus in citato commentario prosequitur et ex *argumento*, quo ad eundem finem attingendum utitur.

Cyrillus Alexandrinus nempe totus in eo est, ut ostendat veritatem *eucharisticam* verborum Christi apud Ioannem 6, 54. Ad quem finem obtainendum argumento utitur *christologico* et quidem argumento ex sequellis unionis hypostaticae respectu habito ad humanam Christi naturam, ita ut humanitas Christi praecise *principale* sit obiectum de quo Cyrillus in eodem commentario ex *professo* sermonem instituit.

Cyrillus Alexandrinus citando verba Christi apud Ioannem 6, 54. subjungit: »Expertes enim et vacui plane vitae . . . remanent, qui per mysticam eulogiam Filium non suscepserunt. Vita est enim (sc. Christus) secundum naturam in quantum et

²¹ Cfr. notam 16. p. 300.

²² Cfr. notam 18. p. 300.

²³ Cfr. notam 16. p. 300.

ex vivente Patre genitus est sed nihilominus etiam corpus eius aliquo modo et verbo *cuncta vivificanti* ineffabiliter unitum *vivificum est*; idcirco eius esse reputatur ac velut unum cum ipso (corpore).... Et quoniam caro Salvatoris vivifica facta est utpote unita vitae secundum naturam, verbo scilicet Divino, quando illam (sc. carnem Salvatoris) degustaverimus, tunc uniti etiam nos cum ea (ei sc. carni Salvatoris) vitam habebimus in nobis quemadmodum ipsa (caro Salvatoris unita) Verbo inhabitanti (facta et vivifaca)«.²⁴ Allata itaque demonstratione, iuxta quam verba Christi apud Io 6, 54 characterem suum *eucharisticum* in *unione hypostatica* eiusque sequellis fudantur, Cyrillus argumentum theoseos suae comprobat, uti videbamus, Christi vita practica dicendo: »Hanc enim ab causam (scilicet unionem hypostaticam), »etiam in suscitandis mortuis non solum verbo et iussis omnipotentibus Salvator operatur, sed sanctam suam carnem cooperativam constanter ad hoc potissimum adhibebat, ut monstraret illam (scilicet carnem) vivificare posse et (velut) unum quid cum ipso iam factam esse; etenim proprium eius nec alterum (alterius) corpus est.«²⁵ Christus igitur in vita sua practica ad mentem Cyrilli propriam suam carnem (sc. humanitatem) *utpote sibi unitam* tamquam vivificantem reputavit et eamque consequenter etiam in miraculis patrandis adhibebat, uti patet v. gr. ex resuscitatione filiolae principis synagogae et filii ex civitate Naim. »Quod si solo tactu sanctae carnis«, concludit Cyrillus Alexandrinus ad veritatem eucharisticam prouti est apud Ioan 6, 54 — id quod corruptum est vivificatur, quomodo non assequemur ditionem vivificantem beatitudinem (felicitatem) cum eam (sc. carnem) degustaverimus. Eos enim, qui illam (sc. carnem) gustaverint, proprii sui boni scilicet immortalitatis participes reddet.«²⁶

Uti patet, unio hypostatica iuxta Cyrillum *ratio* est, ob quam caro Christi *vivifica* facta est. Qua de causa Christus carne sua in miraculis patrandis, v. gr. in resuscitatione mor-

²⁴ Cfr. notam 15. p. 299—300.

²⁵ Cfr. notam 16. p. 300.

²⁶ Cfr. notam 18. p. 300.

tuorum utebatur. Ratione eiusdem unitatis hypostaticae *etiam nos* in eucharistia uniti cum carne Christi vivifica »ditioris *vivificae* beatitudinis (felicitatis) et vitae »immortalitatis« participes reddimur.

Cyrillus Alexandrinus itaque duas respectu habito ad humanam Christi naturam ex unione hypostatica deducit conclusiones.

Primo: Unio hypostatica *ontologica* ratio est, ob quam humana natura in Christo tamquam distinctum et indivisum principium quo propriarum operationum partem habet et quidem per modum causae efficientis — cooperatricis etiam in operibus miraculosis uti est resuscitatio mortuorum.

Eadem doctrina Cyrilli, in suo 11. anathematismo contra Nestorium expressa accepta fuit a concilio Ephesino a. 431. can. 11. Si quis non confitetur, carnem Domini *vivificatricem* esse et propriam ipsius Verbi Dei Patris, sed velut alterius praeter ipsum, coniuncti eidem per dignitatem, aut quasi divinam habentis habitationem, ac non potius ut diximus vivificatricem esse, quia facta est propria Verbi cuncta vivificare praevalentis.

A. S.²⁷

Secundo: Unio hypostatica consequentur *fundamentum ontologicum* veritatis eucharisticae de qua Joannes cap. 6, 54. praesupponatur necesse est.

Hisce suppositis facile sensum positivum detegemus, quo Cyrilus Alexandrinus de una eademque activitate Christi locutus est.

Cyrillus Alexandrinus ait: »Unde cum filiolam principis synagogae suscitavit dicens: Filia surge, apprehendit manum eius, ut scriptum est: *vivificans* tum ut Deus omnipotenti iussu, tum *vivificans* tactu quoque sanctae carnis *unam* et *eandem per utrumque* monstravit activitatem.«

Activitas vivifica Christi loco citato non est una eademque activitas reduplicative qua activitas, cum — praescindendo a contextu cui haec assertio clare opponitur — activitas vivifica hoc in loco ex supposito sit duplex. Cyrilus enim ait: »*vivificans* tum ut Deus... tum *vivificans tactu* quoque sanctae carnis...« Quae »una eademque activitas« ulterius explicite pra-

²⁷ Denz, Enh. 123.

supponitur causata »*per utrumque*«. Ergo activitas Christi vivifica se habet per modum *termini*, vel melius per modum *effectus ad duplarem causam*. Activitas resuscitationis in fieri est duplex at in facto esse est una atque eadem. Sermo hic est igitur de activitate terminative sumpta. Unus idemque effectus, qui de natura sua actus divinus est, sc. resuscitatio filiolae principis synagogae duplarem habet causam e. e. non tantum divinitatem Christi, quod per se clarum est et per se intelligitur — sed etiam humanitatem ipsius et quidem ratione suae cum »Verbo Divino cuncta vivificante« unitatis — quod Cyrilus Alexandrinus hoc loco ex professo tractat et intuitu veritatis eucharisticae ex Joanne 6, 54 demonstrandae longe latenter probat.

Activitas igitur Christi qua vivifica in *sensu obiectivo* est *duplex* ratione duarum causarum, a quibus procedit. Consequenter »*una et eadem activitas per utrumque*« monstrata assignat potius *unum eundemque effectum* secutum ratione unionis hypostaticae i. e. ratione *ontologicae identitatis subiecti* in Christo, eo quod sc. Christus utpote persona divina unum idemque subiectum sit divinitatis simul et humanitatis.

Explicatio supposita, quam commentario Cyrilli Alexandrini in Joannem 6, 54 dedimus, difficultatem omnem tum quoad »unius eiusdemque activitatis« sensum negativum tum praesertim quoad sensum positivum e medio tollere videtur. cum idem textus de »*una eademque activitate*« Christi in nostra explicatione contextus et antecedentis uti etiam consequentis tamquam pars *integralis* et *logica* necessario appareat. Qua expositione consequenter confirmata manet versio nostra termini *οὐνα* cum »*eandem*« — etiam si haec versio de se male in *mono* haeretice sonat — cum Cyrilus, uti constat, praecise probare intendit *humanitatem* partem habuisse in eisdem operibus miraculosis, quae ceteroquin naturae divinae sunt. Denique nullum dubium esse videtur, quin commentarii citati exegesis nostra et ideologiae et terminologiae correspondeat, qua Cyrilus Alexandrinus in theologia et praesertim in disceptationibus polemicis cum Nestorio eiusque asseclis utebatur. Quod ex diversis videre est locis eiusdem commentarii, in quo idem Cyrilus in asserenda tantopere insistit apsoluta unitate et identitate subiecti in Christo, cui caro sc. humana natura tamquam

vera proprietas attributur et qui tum in existentia, tum in volitione et activitate semper unus idemque apparet.²⁸

Transeamus igitur ad secundam articuli nostri partem, in qua diversorum tum veterum tum recentissimorum theologorum de commentario citato explicationes ad trutinam revocantur.



²⁸ Qua de causa putamus commentarium Cyrilli Alexandrini in Joannem non fuisse compositum ante ortum nestorianismi i. e. ante a. 428. prouti censet Bardenhewer. Cfr. Patrologie, Freiburg, 1910. 235.